



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

B. Nicephorus Mart. 16. FEb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

16. Feb. VITÆ SANCTORUM. 119
pererat) moram aliquantulam facit.
Indè celeri gressu dum ad moriturum
contendit, ecce mortuum audit, Hic
enim verò palàm SEVERUS se incusare,
veniam suam ut curaret, Domini vi-
neam neglexisse, morte crudeliorem
se fuisse: illam corpus peremisse, sese
animi latronem esse. Igitur funeri af-
fusus non prius à precibus lacrimisque,
quàm à morte defunctus surrexit. Et
narravit hic jam se ad ignea & tene-
bris infesta loca abductum pœnas ulti-
mas daturum fuisse, nisi Ephebus inter-
cessisset candore insignis, lacrimisque
donatum SEVERI tantisper nuntiasset,
dum noxas animi expiaret. Expiavit igitur
has, & septimo post die felicius obiit.
Quid hic illi, quos morituri non è
vineâ, sed vini tabernâ vocant, & sæpè
heu! frustra vocant, qui tamen ab inferis
revocare animos non possunt, sequi
possunt? *Ex Dialog. S. Greg. l. 1. c. 12.*

*Totus mundus ad unius animæ pretium
astimari non potest; non enim pro toto mun-
do Deus animam suam dare voluit, quam
pro anima humana dedit: sublimius est er-
go animæ pretium, quæ non nisi sanguine
Christi redimi potuit. S. Bern. l. Med.*

B. NICEPHORUS MART. 16. Feb.

NICEPHORUM Martyrem dicimus. Si
iræ non cedis, Lector, martyrem
H 4 alte-

120 VITÆ SANCTORUM. 16. Feb.
alterum te dicimus. Fuit NICEPHORO
familiaritas cum Sapritio Sacerdote à
teneris contracta. Eà cum pueris cres-
cere, adulescere cum adolescentibus vi-
sa, demum præter spem omnium in fa-
tale odium vertit. NICEPHORUS quòd
minus fellis animo gerebat, & maje-
stati Sacerdotum oppidò faveret, de-
refar, ciendâ amicitia cogitare, eaque
super re per internuntios agere. Sed
aures Sapritii ira obsessas tenebat. In-
tereà gravis in Christianos tempestas
Antiochiæ exorta turbine suo etiam Sa-
prium involuit. Nihil tamen in tor-
mentis, aut dixit, aut fecit Christiano
indignum. Jamque ad palmam vocaba-
tur, cum semel iterumque NICEPHORUS
ad genua euntis accidit, lacrimansque
veniam rogat. daret hanc moriturus pro
Christo, si non sibi, certè ipsi Christo
mortuo inter preces pro hostibus fusas.
Audiebat hæc Spiritus, neque tamen
vel verbis, vel oculo dignatus NICE-
PHORUM est. Ergo non placuit cælo
palmam illi dare, qui se ipsum nollet
triumphare. Cervicem præbere jussus,
mortem turpi vitâ redimit, & Christi
Sacerdos facere. eheu! Iovi promittit.
necquicquam per omnes Superos obstan-
te NICEPHORO, non referret, quem
cælo jam posuisset pedem, non dimitte-
ret, quam jam jam prehendiisset palmam.
Ne tamen gratis licetor gladium strinxif-
set,

16. Feb. VITÆ SANCTORUM. 121
set, accurrit ipse NICEPHORUS, &
succedaneam victimam se obtulit. quid
multis? in aliena pramia involavit. Ex
Metaphr.

*Discordans & disidens nec si pro no-
mine Christi occisus fuerit, crimen dis-
sensionis poterit evadere; quia scriptum
est, qui fratrem odit, homicida est;
quale ergo delictum est, quod nec Mar-
tyrio sanguinis potest abluere? S. Cypr.
serm. 6. de Orat. Dom.*

S. JULIANA V. M. 16. Feb.

Pulcherrimâ formâ JULIANA pul-
cherrimè est usa. In hâc enim velut
speculo opificem hujus DEUM cœpit in-
tueri. Christo igitur adictam paren-
tes Eleusio desponderunt, viro nobili &
urbi Nicomediæ Præfecto. Sed quia su-
perstitioni hic deditus erat, negavit JU-
LIANA sibi fœdera nuptialia cum illo
fore, qui animum hostilem in thorum
ferret. Ab hoc proposito ut dimoveret
parens, arietes admovit, minas; repu-
lit virtus. Egit cuniculos, blanditias;
eludit. Inclusit carceri; thoro illa hunc
prætulit. Tandem Eleusius, ille nuper
sponsus, fit sponsæ judex. Mox in carni-
ficem abit. Cædit verberibus, quod nuper
laudabat corpus. Suspendit, quibus nuper
captum se fatebatur, capillis. Urit fer-
ro ardores suos, artus castissimos. Et has

H 5 de-